

I. N. J. C.
DISSERTATIO

DE
S I T U
V E T E R I S
F I N L A N D I Æ,

QUAM

*Conf. Ampliss. SENATUS Philos. in Reg. ad
Auram Academia,*

PRÆSIDE

M A G . J O H A N N E
B I L M A R K ,

HISTOR. AC PHIL. PRACT. PROFESSORE Reg. & ORD.

PRO GRADU

Publice defendet

LAURENTIUS PALANDER,

Tavastensis.

In AUDITORIO MAJORI Die XVII Julii
Anni MDCCCLXXII.

Horis ante meridiem solitis.

A B O Æ

Typis JOHANNIS CHRISTOPHORI FRENCKELL.

PRÆFATIO.

Ne mireris, Benevole Lector, si in præsenti opella invenias sententiam, a communi opinione rece-
dentem. Philosophos decet in veritatem inqui-
rere, non autem placita ab aliis proposita sine ulteriori
examine ambabus amplecti manibus; ipsis convenit di-
spicere, quibus argumentorum lacertis quælibet opinio
nitatur, nec admodum curare, quis hanc vel istam hy-
pothesin in eruditorum scenam primus produxerit.
Hoc animo nos sequentem exhibentes disquisitionem,
statim in discursus limine observamus, quod quamvis Fen-
niæ, Fenningiæ atque Finlandiæ nomen in antiquissimis
Historicorum scriptis saepius occurrat, non tamen pro-
pterea sit evictum, quam imprimis terram hac appella-
tione indigitatam voluerint. Primo quidem intuitu ni-
hil fere certius videtur, quam quod Patria nostra fuerit
antiquissima Fennorum sedes, quippe quod ipsum no-
men extra omnem dubitationis aleam ponere censemur:
attamen dum vel in considerationem venit, quod gen-
tes olim, solum vertentes, novis sedibus veteris Patriæ
nomina haud raro imposuerint, evidens est, quod uni-
cum hoc momentum totam rem non conficiat. Pluri-
bus ac firmioribus opus est argumentis, ne nibem pro
Junone amplectamur; quare etiam nos succincte ea ad-
feremus, quæ ad nostram opinionem explicandam con-
ducunt. Legat Benevolus Lector, atque deinceps judi-
cet, a cuius parte sit veritas.

§. I.

Qui sibi aliisque persuadent, nostram Finlandiam fuisse veram & antiquam Fennorum Patriam, duorum imprimis valde celebrium Historicorum, PLINII videlicet atque TACITI, auctoritate nituntur. Ille postquam de Scandia, quam *incomptæ magnitudinis insulam* vocat, locutus fuerat, hæc addit: *Nec opinione minor est Eningia vel Fenningia.* *Quidam* hanc habitari ad *Vistulam usque Fluvium a Sarmatis, Venedis, Sciris, Hirris tradunt.*

(a) A quo non multum abludit Tacitus: *Peucinorum, inquit Venedorumque & Fennorum nationes Germanis, an Sarmatis adscribam,* dubito. Et paucis interjectis: *Venedi quicquid inter Peucinos Fenosque silvarum ac montium erigitur, latrociniis pererrant.* (b) Quid vero de utroque hoc testimonio sit statuendum, mox paucis dispiciendum.

(a) Vid. *Ejusd. Histor. Natural. Libr. IV. Cap. XIII.*

(b) Vid. *Ejusd. Germaniam C. XLVI.*

§. II.

Ex his modo allatis certissime colligimus, Fenos ab antiquissimis retro temporibus, quæ epocham nativitatis CHRISTI antevertunt, borealibus Euroæ regionibus in sedile; quo tamen ipso sedes eorum nondum sunt definite. Uterque Historicorum traditiones duntaxat aliorum, quales easdem obtinuit, adfert. Quod ad argumentum a PLINIO petitum attinet, cui præcipuum inesse robur creditur, observat CELLARIUS (a), quod in MS:tiis *Epigia*, in editis *Eningia* legatur, at interpretum consensu, saltem plurimum, legenda sit *Fenningia*; unde apparet, quod argumenti hujus cardo vertatur non in Plinii scriptis, sed in interpretum conjecturis. Animadverto quidem, quod per *Oeonias Insulas* nonnulli intel-

ligant *Alandiam*, (b) in qua, scilicet reperiuntur insula & pagus *Öninge* & *Öningeby*: Sed obscura haec loca, per Eningiam a Plinio indicata fuisse, parum est verisimile. Præterea quod Historicus hic aliam plane regionem, quam nostram describat Finlandiam, vel ex prisca, quos nominat, incolis colligi potest. Quis enim unquam dixerit, Finlandiam nostram a Sarmatis fuisse habitatam vel a Venedis. Profecto, nisi quis insulas magis conjecturas, quam veritatem amet, facile animadvertis, quod Plinius Borealem Germiniae partem, in qua Sarmatæ, Venedi & Hirri occurruunt, describat. Nec allatum TACITI testimonium magis confirmat communem de antiquissimis Fennorum sedibus opinionem.

(a) Vid. *Ejusd. Geographiam Antiq.* Tom. I. p. 490.

(b) Vid. *Hallborgi Dissert. de Alandia*

§. III.

Præter testimonia Auctorum solent quoque alia proferri argumenta, quæ antiquitatem gentis ac regionis evincunt. Eninvero in nostra Patria hactenus non sunt detecta quædam monumenta, quæ æram introducere per Septentrionem Religionis Christianæ longe antevertunt. Nulla enim heic monstrantur Sepulcra Majorum Gentilium, nulla heic occurruunt vestigia cultus gentilis, aut Deorum imaginum, quod enim de geniis quibusdam tutelaribus habent traditiones, tale est, ut haec Zizania cum tritico Christianiæ facile succrescere potuerint, nulla quoque habentur monumenta expeditionum, nulli cumuli ex lapidibus congesti ac munimentorum vice fungentes, quales in aliis passim cernuntur regionibus; nulli denique aggeres aut propugnacula ante tempora Svethiæ Regis ERICI EMUNDSONII.

Quæ

Quæ omnia si probe expendantur, concludere licet, quod primi Majores nostri vitam diu degerint, illi non dissimilem, quam Scythis Nomadibus passum tribuunt Scriptores, illis destituti præsidiis & commodis, quæ ex imperio rite instituto proficilcuntur.

§. IV.

Confirmatur adhuc nostra opinio exinde, quod propri quidam Characteres a Gothicis diversi, quos majores nostri Suis posteris de manu in manum quasi tradiderunt, superstites non sint, sed communibus cum Svecis nostri usi fuerint; qui rursus, nisi admodum fallimur, tunc sunt introducti, quum Svetbiæ Rex ERICUS IX Christianam religionem per nostras oras primum propagavit. Si itaque nostra terra olim æque ac nunc frequentes habuerit incolas; si respublica quædam apud majores nostros constituta & civitates pridem floruerint, procul dubio ad nostram quoque memoriam pervenissent elementa Litterarum, quæ ad ordinem conservandum apprime sunt necessaria. Dicat forte quispiam, hæc fuissè penitus deleta a Svecis, quum Finlandia Svethico imperio fuit innexa, eum in finem, ut Cives tanto facilius in officio continerentur. Enimvero facilius ista dicuntur, quam probantur. Quis enim ignorat, quod licet papicolæ omnem impenderint curam in excindendis veterum Gothorum Runis, impedire tam non potuerint, quin multa cimelia intempestivam eorum sævitiam subterfugerint. Si quid autem ejusmodi in nostris oris, sicut in Svetbia quondam, tentatum fuerit, culpa omnis in Legatos Pontificis erit derivanda; Principum autem, nisi vano superstitionis œstro fuerint perciti, nihil interfuit talia abolere, sed potius honori ipsis ducitur, conservare vetera virtutis ac prudentiæ chronica & monumenta gentium sibi subjectarum,

rum. Sit, quod barbara ista aetate aliter & hi senserint, vix tamen ad unum omnia delere potuerunt monumenta, ut non quædam saltem fragmenta post tot temporum intervalla in apricum alicubi produci potuerint.

§. V.

Sed remanet forte adhuc dubium ab ipso Patriæ nomine desumtum. Quæri enim potest, si Patria nostra clime non dicta fuerit Finlandia, qua appellatione hic terrarum tractus tunc sit insignitus? Nec hæc instantia nos confundit; siquidem ex bulla Pontificis Romani GREGORII IV data ANSGARIO constet, quod ipsi concedatur potestas, ut Legato Apostolico annuntiandi Evangelium Christi per Sveciam, Daniam, Norvegiam, Farriam, Grönlandiam, Helsinglandiam, Islandiam, Skrid-Finlandiam, Sclaviam, Transalbiā & Nationes omnes Septentrionales ac Orientales, uti habent LUDOVICI Pii & GREGORII IV diplomata & ex iis RIMBERTUS commemorat (a). Quocirca statim observamus, quod Fenni ponantur vicini Helsingorum, remotiores omnino a populis Orientalibus. Nuncupatam autem fuisse nostram Patriam ista tempestate Österland, tum dicta confirmat bulla, tum dilucide inde constat, quod ipsa quingentis annis post, scilicet sub imperio Sveciæ Regis MAGNI SMEK hoc nomen retinuerit; siquidem primus Legifer in his criminibus constitutus, dicatur Legifer Österlandiæ (b). Quid? quod Alandi etiamnum nostram Patriam non Fenniam, sed præcipue Österlandiam nuncupent. Quæ omnia satis evincunt, Finlandiæ appellationem apud nos esse recentiorem; pro qua apud antiquos invaluit Österlandia & Ostergardia (c).

(a) Vid. OERNHJELMI Hist. Sveonum Eccl. p. 21.
(b)

- (b) Vid. *H. SPEGELS Bevis til Kyrkohist.* p. 3. & 5.
 (c) Vid. *Cel. Præsidis Differt. I. de Holmgardia* p. 16.

§. VI.

Denique si perpendamus nomina propria, quæ Regibus Finlandiæ in Historiis antiquis passim tribuuntur; facile animadvertisimus, tum quod pleraque eorum sint mere Gothicæ, quæ in vetustis annalibus iterum iterumque occurrunt, tum etiam quod nonnulla genio Linguæ Fennicæ prorsus repugnant, quippe qui non patitur, ut duæ consonantes ab initio vocum ponantur. Sic tertius Finlandiæ Rex fuisse perlubetur SNIO, quintus GRIS, nonus FROSTI (a). Quocirca Perillustris L. B. de NETTELBLADT hanc addit censuram: *Pleraque Regum Finlandiæ nomina manifesto ex Lingua veteri Septentrionali originem ducunt. Hinc si omnes ab Auctore Chronicæ Finlandiæ recensiti Reges Finlandiæ imperarunt, vel Reges Fennorum extraneos fuisse, vel populum hunc illo tempore Lingua ab hodierna plane diversa usum fuisse patet* (b) Quod quidem argumentum plenius illustraretur, si plura nomina eademque propria in Lingua Fennica superessent. Sed quum tantum non omnia quæ ad nostram pervenerunt memoriam, sint vel Gothicæ vel Ecclesiastica, cum Religione Christiana primum introducta; probabile quoque est, quod Regum nomina etiam aliunde suam repetant originem. Mentionem quidem facit SCHEFFERUS duorum Fennorum, qui populares suos in Lapponiam deduxerunt MIESCHOGIESCHE & THINS-KOGREH dictorum; sed an haec nomina vel propria fuerint, vel cognomina, qualibus delectantur nostrates, nihil perhibet. (c) Nibili tamen minus in confesso est, quod Tins, Tinnis & Tönnis, sit origine Gothicum, sicut alterum Sclavonicam Dialectum sapere videtur. Nec tamen erit reticendum, quod

quod antiqua quædam Familiarum Fennicarum Nomina ocurrant, inter quas fere eminet *Calenu* (*d*) ab ipsis Gigantibus, si fabulis habenda fides, orta & quod in eisdem servandis nostri non minus, quam alii populi Orientales fuerint solliciti; hæc tamen seculorum non multorum sentiunt canitatem.

(*a*) vid. *Chronicon Finlandiæ* apud illustr. L. B. Nettelbladt in Biblioth. SvioG. Tom. I. Inter quindecim Finlandiæ Reges, quos recenset Auctor Chronicæ unicus fere est *Ucko*, qui Fennicum habuit nomen. (*b*) Vid. *Libr. & Tom. cit. p. 101.* (*c*) Vid. *Ejusd. Lapponiam p. 46.* (*d*) Vid. *Cl. MATTHESII Dissert. de Ostrobothnia p. 18. & seq.*

§. VII.

Postquam ita pro instituti ratione breviter ostendimus, quod ex iis, quæ supersunt, documentis, vix probari possit, Patriam nostram fuisse veram sedem ac patriam veterum Fennorum, quorum bella Scriptores antiqui & exotici & indigenæ describunt; proximum est, ut nunc dispiciamus, ubinam veterum Fennorum Patria sit invenienda. Nisi vero per omnia fallimur, tractus ille terrarum, qui suo ambitu Angermanniam, Westrobothniæ & Lappmarkiam una cum montibus Riphæis Norvegicis complectitur, & qui per Littora Sinus Botnici usque ad mare Album ex porrigitur, fuit genuina ac primitiva Fennorum patria, cujus Reges quondam cum Regibus Svetiæ ac Norvegiæ de principatu contenderunt; quare etiam in annalibus Norvegicis celebrantur. Quam opinionem primum comprobamus ex diplomate supra memorato, quod *Ansgario* fuit concessum & in quo Fennia ponitur vicina Helsingiæ. Deinde hoc quoque pertinent, ea, quæ legimus in fragmen-

gmento Historiæ, quod *Origines Norrigiæ* inscribitur: *Fuit Rex quidam nomine FORNIOTHUS*, qui *Jotbataridæ* præfuit, quo nomine etiam *Finlandia* seu *Kuenlandia* censebatur; spætæt hæc ab Orienti *Sinum Bothnicum*, qui *Sinui Gandyk* occurrit, ubi nos *Sinum Helsingicum* vocamus. Ex quibus manifesto sequitur, quod antiqua *Finlandia* contermina fuerit *Helsingiæ*. Quid? Quod supersint adhuc in his terris Nationes Fennicæ, quæ lingua propria utuntur; sunt tamen non pauci, qui utramque linguam, *Fennicam & Svethicam*, æqualiter callent.

§. VIII.

Memoriæ quoque prodit *STURLONIDES* (a) de *WANLANDO*, *Svethiæ* Rege, quod cum in *Finlandia* gravi morbo occubuisse, ad ostium fluminis *Skuta* fuit sepultus, ubi insignem cumulum in ipsius honorem erexerunt sui commilitones. Quæras autem per universam *Finlandiam nostram*, nec locum invenies aut fluvium *Skuta* dictum. Contra ea in locis in §. VII. memoratis est mons altissimus *Åreskutan*, prope quem labitur fluvius, nunc a parœcia *Njurunda*, olim autem a monte cognominatus. Addo, quod nisi antiqua *Finlandia* fuerit *Svethiæ* ac *Norvegiæ* contermina, Reges harum terrarum continua fere inter se bella gerere non potuerint.

(a) Vid. *Heimskringla Tom. I. p. 16.*

§. IX.

Accedit etiam sententiæ nostræ exinde robur, quod *THORERUS HUND*, qui tempore Regis *Norvegiæ O-LAVI S.* admodum famosus fuit, ad Fennos, ceu de ipso memoriæ prodit *STURLONIDES*, profectus, ab ipsis sibi emerit duodecim tunicas, ex pellibus Rangifero-
B rum,

rum confectas, multasque insuper pelles pretiosissimas
 (a). Quocirca contra regulas probabilitatis omnino ar-
 gumentaretur, quisquis sibi aliisve persuadere vellet,
 quod fortissimus hic pugil commerciorum gratia in no-
 stram penetraverit Finlandiam, ubi Rangiferi rarius o-
 mnino reperiuntur, quippe qui in montibus Riphæis &
 circum eosdem gratissima solummodo inveniunt pabu-
 la.

(a) *STURLONIDIS Heimskringla Tom. I. p. 751.*

§. X.

De antiquis Fenniis memoriæ prodit TACITUS; quod sita suo montano securi fuerint adversus Deos hominesque: Quod rursus esfatum magis quadrat in Boreales Westrobotniæ partes & in Lappmarkiam, quam quidem in nostram Finlandiam. Illius enim incolæ ha-
 bitabant juga montium & vastas silvas, quæ cum soli-
 tudinibus Scythicis omnino comparari poslunt, & in
 quas perigrini vix unquam, saltem non sine ancioiti pe-
 riculo, penetrare potuerunt. Docet certe transitus Fen-
 norum & Svecorum per inhospita hæcce loca, qui ante
 semisæculum fere fuit suscepitus, quam molestum sit hoc
 iter, & robustissimis etiam gentibus tantum non imper-
 vium. Contra ea docet Historia, quod nostra Patria ir-
 ruptionibus hostium sæpius fuerit adflicta; adeo ut
 nonnulli etiam putent, Finlandiam ita dictam fuisse,
 quasi *hostilem terram*. Sive enim antiquissima conside-
 remus tempora, migrationes populorum in Scandiam
 tendentium per Finlandiam nostram suscipiebantur, sive
 propria, Majores nostri a vicinis hostibus admodum
 fuere exagitati; adeoque neutrō ævo securi *adversus bo-*
mines.

§. XI.

§. XI.

Considerationem quoque meretur; quod quum ADAMUS BREMENSIS, que saculo XI vixit, satis accurate describat provincias imperio Svio-Gothico subjectas vel innexas, inter populos ad Orientalem Svetiæ plagam degentes nominet Æstios, Curlandos, aliasque nullam tamen mentionem Fennorum in vastis hisce terrarum tractibus degentium faciat, Finnos seu Scroto-Finnos vel Skidfinnos Helsingis vicinos ponens. Quis vero crederet ipsum neglexisse nostram Patriam suo indigitare nomine, si hanc terram tunc temporis Finlandiam cognominatam fuisse, certis narrationibus accepisset?

§. XII.

Postquam ita ostendimus, quod Historica monumenta nobis, antiquam ac genuinam Fennorum patriam in his Arctoi Orbis regionibus sollicite querentibus, desint; non præter rationem queritur: quo circiter tempore Patria nostra fuerit nuncupata Finlandia. Quamvis nihil fere certi in negotio tot difficultatibus & cimmeriis ferme tenebris involuto, affirmari possit, verisimile tamen est, quod hæc dilecta regio nomine Finlandia non multo ante introductam apud Majores nostros Religionem Christianam inclarerit, quæ antea a vicinis populis dicta fuit *Osterlandia*, quod rursus nomen in Latinam linguam transferentes Monachi verterunt per *Terram Orientalem*. Quum enim Sæculis XI & XII frequentes in Finlandiam seu Finmarkiam, a ferocibus Norvegiæ Regibus fierent irruptiones, probabile admodum est, quod Fenni loca tuta suis penatibus querentes ad Orientales nostras terras sese contulerint, ibique sedes suas posuerint, pristinum nomen ipsi retinentes & novæ etiam terræ nomen prioris patriæ imponentes. Scilicet modo §. XI. observavimus, quod ADAMUS BREMENSIS,

SIS terrarum Septemtrionalium describens situm, nostram Patriam non appellitet Finlandiam. Attamen non ita multo post, dum Svethiæ Rex ERICUS IX expeditiōnem cruciatam in nostras orās suscepit, perhibent annales, quod in Finlandiam sēcē contulerit, Fennos vi atque armis ad Christiana Sacra perducturus, quod factum novimus circa medium sēculi XII. Immo Episcopus THOMAS, Diœcescos nostræ curam gerens, in Bullis Papalibus salutatur Episcopus Finlandiæ. Unde igitur concludere licet, quod nomen Finlandiæ in nostris oris inyaluerit intermedio inter ADAMUM BREMENSEM & STURLONIDEM tempore.

S. D. G.

